DE
RABIE PLANTIVORORUM.

DISSERTATIO MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

CONSCRIPSIT ET UNA CUM THESIBUS

DIE III. MENS. MAII A. MDCCCXLVIII.

PUBLICE DEFENDET

PETRUS JOS. FLENZ

RHENANUS.

ADVERSARIIS:

FRENKEN, MED. ET CHIR. CAND.
ARNDT, MED. ET CHIR. CAND.
HECK, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE.

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLVIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO AC SUMME VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Procemium.

Rabies sive furor rabiosus quum et pecori et homini tantam minitetur perniciem, ideoque gravissimi in politia medica sit momenti, haud mirum est, quod quaecunque de huius morbi natura, decursu et sanandi methodis conscripta exstant, bibliotheculam iam satis numerosam efficiunt. Itaque in concipiendo hoc libello ea non potuit esse ratio nostra, ut rabiei descriptionem omni ratione absolutam proferremus, sed eo potius consilia nostra pertinuerunt, ut, quidquid certi in rabie, praesertim animalium plantivororum expertum sit, brevi adumbraremus; atque eas maxime quaestiones longius pertractare in animo nobis fuit, numquid etiam in animalibus plantivoris rabies exoriri queat spontanea sive primigena, numque illorum quoque generum animantia, si qua rabie sint correpta, in alia valeant morbum propagare.

Valeas, precor, quicunque me legere digneris, et studiorum meorum primitiis faveas!

aucta cutis sensuumque sensibilitate, symptomatis spasticis, accessionibus suffocationis et furoris, contractione oesophagi spastica cum dolore et anxietate coniuncta, plerumque etiam horrore aquae apparet.

Unamquamque rabiei eruptionem certae systematis nervorum, ideoque ceterorum omnium etiam systematum immutationes antecedant necesse est, quae sensim sensimque tantopere adaugentur, ut incipiens illa in organismo discrepantia ex conditione, moribus gestuque animalium cognosci queat. Haec tamen phaenomena ad primum morbi exorsum pertinentia in iis tantummodo animalibus, quae a cane rabioso vel de rabie suspecto morsa esse constat, aut eo saltem tempore, quo rabiem iisdem in regionibus vagari manifestum est, pro certis morbi prodromis habere licet. Quorum symptomatum magna quidem pars levissima est putanda; maioris tamen momenti phaenomena quaedam sunt magis pathologica morbum ipsum significantia. Quare duo rabiei genera iure distinguuntur: rabies acuta sive furiosa et rabies tacita sive occulta. Huic autem ea praeferenda est distinctio, quae rationibus potius aetiologicis nititur, qua distinguuntur rabies spontanea s. primigena et rab. ex contagio orta.

Commutationes illae in systemate nervorum sensim sensimque crescentes per complures solent dies perdurare, priusquam manifesta evenit morbi eruptio; id quod intra tres ad septem dies, plerumque tamen initio iam diei quarti accidit post prima mali signa conspicua. Frequentioribus vicissitudinibus impetuum furoris et intervallorum tranquillorum hoc malum inde a manifesta rabiei eruptione per duos tresve dies perstat. Post hoc au-

tem temporis spatium exagitationis status remittit, statusque languoris tantopere invalescit, ut illa quietis intervalla magis magisque prorogentur, atque impetus furoris minori fiant vehementia. Ex his, quae modo diximus, quamquam morbus variis potest formis apparere, prout varia sunt animalium aetas, constitutio, temperamentum, genus et vita, contagionis modus et conditiones externae vel exagitantes vel deprimentes, fortasse genius quoque epidemicus, tamen morbum, nisi perquam celeriter decurrat et morte apoplectica afficiat, in certa stadia dividere licet, quae in plerisque etiam casibus experientia comprobantur:

I. St. prodromorum,

II. St. incitationis vel exagitationis,

III. St. paralyseos.

Animadvertendum tamen est, primum stadium saepe tam breve esse vel phaenomena eius cum phaenomen's secundi stadii tantopere saepe confundi, ut primum vix queat dignosci, atque in rabie tacita stad. secundum aut totum praeteriri, aut stadio tertio celerius vehementiusque irrumpente magis minusve obscurari.

Quod attinet ad morbi tempus, ex permultis iudicandum est observationibus, quatuor eius esse dies inde a perfecta rabiei eruptione vel septem octove dies inde a primo signo mali perspicuo. In plerisque casibus animal post septem dierum spatium emoritur. Attamen hac quoque in re exstant varietates; haud raro enim post 14, 21, 28, saepe post 35 demum dies erumpit rabies.

Symptomata rabiei gravissima et accuratius observationibus comprobata hic adiungere liceat. Gestus et mores animalium mutati, insolita alacritas et ignavia;

inquietudo anxietatem quandam indicans continuo cum cursu vago coniuncta, quae ad extremum provecta ad aufugiendum impellit. Appetitus ciborum solitorum amissus et macies subita, alvus valde obstructa, frequentes furoris impetus et omnia mordendi et lacerandi cupiditas. Vox permutata, convulsiones, quae nervorum systema penitius correptum esse indicant, irritabilitas sensuum mire adaucta, secretio salivae et muci ex ore copiosior et genitalium excitatio, horror lucis et splendoris.

Quaecunque de rabiei sede et natura quodammodo probabiliter statui licet, fere haecce sunt: rabies originem trahit ex sanguine; veneno in sanginem translato hicce ita mutatur, ut plurimum aequale vel saltem analogum in ipso sanguine procreetur venenum, universalem in functionibus vitalibus, praesertim in systemate nervorum perturbationem efficiens. In postremis rabiei temporibus abnormis ille organismi status continuo magis magisque universalis evadit, cunctas corripit functiones vitales atque organismum paullatim aut celerius morte exstinguit.

Caput II.

Qua re rabies differat a mania et a tetano.

A veteribus, quin imo a nonnullis recentioris aetatis auctorihus rabies cum mania commutata est. Voce „Mania“ (μανία Graecorum, insania, delirium maniacum Hoffmanni) significatur malum universale et magis chronicum viribus vitalibus exagitatis; est status irritabilitatis adauctae irritatione provocatus.

Insigniora Maniae symptomata sunt: cogitationes alacres, dissolutae et turbidae, motus vehementes, clamor, omnia lacerandi cupiditas; somnus abest, aut recreatione caret, (aegrotus expergiscitur denuo saeviturus); cunctae denique vires tantopere sunt exagitatae, ut omnes functiones nimia intentione procedant. Aegroti sponte sua non sunt malitiosi, nisi antea in ipsos sit insultum. Pro causis Maniae haberi possunt sanguinis in caput affluxus, exsudatio cerebri aquosa et saepe degenerationes eius tunicarum, irritatio sanguinis et denique mala organorum abdominis et genitalium. Inter eas praeterea causas, quae peculiarem exserunt vim ad excitandam facilius maniam, numerantur aestas, iuventus, temperamentum cholericum et sanguinicum atque constitutio robusta et plethorica.

Negari non potest, quum nonnulla phaenomena, tum

conditiones nonnullas causales analogiam quandam ostendere rabiei et maniae. Praecipua vero inter rabiem et inter maniam discrimina haec sunt: Rabies summopere acutum habet decursum, quippe quae in plerisque casibus tantummodo per septem et octo dies perstet; mania vero malum prorsus chronicum est; maniae exitus per se non est letalis, rabies semper mortem affert. Mania symptoma rabiei, nunquam tamen ipsa rabies esse potest.

Rabies plurimum contagio et morsu quidem exoritur, mania autem sponte sive potius causis internis, functionibus cerebri perturbatis et morbis cordis. Mania nunquam epidemica, nunquam inoculatione transfertur, nullum igitur maniae inest contagium fixum. Mania paroxysmos habet saepius incertisque intervallis redeuntes; rabies certum decursum, certaque stadia habet. Rabies cum convulsionibus ac saepe cum universali totius corporis spasmo coniuncta est, quibus tamen motiones maniacorum, quamquam vehementissimae, carere solent. Hydrophobia in mania rarissime, in rabie saepissime invenitur.

Tetanus quoque prae ceteris nervorum morbis cum rabie commutatus est. Tetanus, spasmus tonicus, specie maxime insigni in tetano traumatico apparet. In tetano continua fibrarum musculorum contractio cum gravissimo in musculis dolore coniuncta observatur. Mens vero, sui usque compos, non turbatur, quoniam morbus primitus non a centro systematis nervorum, sed a peripheria proficiscitur. Inter tetani prodromos variae referuntur coenaestheseos perturbationes, deglutitio magis magisque difficilis, os apertum, quum musculi masseteres, buccinatores et temporales, maxime firmi et intentis sentiantur et magno dolore correpti torpescant. Qua re trismus

efficitur, semper fere cum rigescentibus musculis cervicalibus coniunctus. In vehementissimo gradu perfecta musculorum constrictio adest, ut vel maxima intentione os aperiri nequeat. Accessiones tetani in modum paroxysmorum adaugentur, ideoque impetus et remissiones se invicem excipiunt. Paroxysmi tetani frequentiores et vehementiores redeunt, magnum accedit suffocationis periculum, atque mors sequitur per trismum aut convulsionem universalem. Utrique morbo, rabiei et tetano id quidem commune est, quod spatio temporis incerto post laesionem acceptam exoriuntur et acutum habent decursum. Tetanus tamen plerumque statim post vulnerationem apparet, rabies post morsum serius erumpit. In utroque malo deglutiendi facultas impedita est; in tetano tamen huius impedimenti causa nonnisi per primum stadium ex organo deglutitionis, postea ex eodem spasmo tonico, qui in cunctis musculis spontaneis apparet, petenda est. In rabie nullus huiusmodi maxillae inferioris trismus invenitur; animalia enim rabiosa mordere, vorare, latrare sive ulurare valent; organa deglutitionis potius tantummodo paralysi affecta sunt. Hydrophobia et salivatio, in rabie perquam saepe observatae, in tetano desunt. In tetano horror lucis symptoma minus frequens, quam in rabie est. Tetanus certis conditionibus omnis generis laesiones, etiam operationes chirurgicas, rabies tantummodo morsum animalis rabiosi, eiusque salivae inoculationem sequi potest. Tetanus plerumque inter vulneris suppurationem, raro post cicatrisationem, rabies plurimum post cicatrisationem exoritur.

Caput III.

De plantivororum rabie generatim disputatur.

Casus illi rabiei primigenae, quos nonnulli in aliis praeter canem animalibus observasse sibi videntur, plerumque, ratione habita phaenomenorum et inprimis effectuum, a vera rabie magis minusve discrepant. Felinum enim genus praeter caninum rabiei primigenae prae ceteris quidem, attamen longe rarius obnoxium esse statui licet. Symptomata rabiei ex contagio ortae in ceteris animalibus domesticis universe speciem rabiei caninae prae se ferunt; at propter peculiarem cuiusque generis naturam varium in modum immutantur. Pathognomonica huius morbi nostri symptomata in variis animalibus herbivoris minus quam in carnivoris nota sunt. Sed tamen constat in plantivoris hydrophobiam aeque atque in genere canino nullum esse rabiei symptoma constans et pathognomonicum.

Namque observatum est, ut rabiosos canes, ita rabiosos equos, boves ovesque magna cum cupiditate aquam bibisse aut nullum saltem liquidi horrorem ostendisse.

Contra vox peculiaris et rauca in rabiosis animalibus domesticis non minus est phaenomenon maximi momenti, quam in rabioso cane. Praeterea inter symptomata rabidis bobus, equis et ceteris propria referenda est subita corporis macies, quae intra viginti quattuor horarum ad

tres dies spatium tam celeriter crescere solet, ut animalia ante pinguissima in figuram mere osseam solaque cute obtectam pervertantur. Tempus, quo rabies ex contagio orta in variis animalibus plantivoris post contagionem apparet, minime pro certo praestituere licet. Ex plerisque, quae observata sunt, id quum maxime inde a tertio die ad vigesimum accidit. Neque minus incertum est tempus, per quod morbus durare solet. In variis enim animalibus eiusdem etiam generis pro varia cuiusque constitutione et pro aliis conditionibus variet necesse est. Intra tertium quintumve diem plurima moriuntur atque vix quodquam septimum superaverit diem. Duplicem rabiei naturam, quae ad rabiem furiosam et tacitam generis canini respondet, et in plerisque rabiosis animalibus plantivoris animadverti licet. Soliti in herbivoris hi sunt rabiei prodromi: appetitus ciborum deficiens, inertia magna, ignavia et debilitas celeriter crescens, capite inclinato, auribus demissis, vultu languido, membris trementibus atque incessu vacillante; copiosa ex ore profluit saliva saepiusque animal repentino exterretur. Phaenomena haec et similia ad manifestam rabiei eruptionem per horas duodecim ad viginti quattuor nec non per aliquot dies perdurant, quamquam haud raro in plantivoris sine ullis prodromis rabies subito erumpens observata est. Decursus rabiei in variis animalium herbivororum generibus varias exhibet proprietates, quas breviter adumbraturi sumus.

Equus rabie correpti ab initio inquieti, iracundi, anxii apparent, extremitatibus posterioribus contremiscunt et vacillant, incurvantur et subito saepe exterrentur; cutis sicca, firmiter adhaerens, pili erecti, pupilla dilatata

et immobilis, appetitus ciborum diminutus, stercus rarum et siccum, sitis vehemens, quamquam deglutire difficillimum fit. Equus valde febricitat] et interdum maxime sudat; pulsus parvus et spasticus; frequens ad lotium reddendum impulsus et coeundi ardor, inprimis in admissariis maximus, in quibus interdum continuus observatur priapismus, et hinnitus raucus.

Rabie plena erumpente, spiritus difficillime ducitur, os saepe spumat et salivat; animal frequentibus corripitur anxietatis, spasmorum et convulsionum accessionibus, praesertim quum splendor oculis iniicitur, nullo tamen modo aquam glutire valet;] clamorem edit peculiari modo raucum et a solito hinnitu diversum, et vicina mordet. In vehementissimo quoque rabiei furiosae impetu equi terribilem in modum saeviunt, in dorsum se abiiciunt, pedes ultro citroque iactantes, subito in pedes insiliunt, ferociter et rapide morsitant, suum ipsorum corpus dilacerant, furiose stabulum percursitant atque haud raro capite tanta violentia in parietes impelluntur, ut repercutiantur, et in humum profligantur, mox autem surrecturi.

Tales furoris impetus ab intervallis tranquillis alternatim excipiuntur, tamen magis magisque contrahuntur et cedunt; quo tempore animal aegrotum magis magisque languescit, quoad perfectus paralyseos status accedit, et mors vehementibus convulsionibus, nonnunquam post octodecim horas, plerumque tamen tertio sextove die insequitur.

Similia exstant in bubus rabiosis phaenomena. Boves hoc morbo correpti pabulum spernentes quam longissime a praesepi recedunt, per aliquantum temporis capite inclinato et auribus demissis adstantes, repente dein

exterrentur, contremiscunt, saepissime collum caputque quassant, posteriorem corporis partem huc et illuc iactant simulque crepitus in regione lumbali auditur; vultus pavidus, consternatus, torvus. Oculi turbati, prolapsi, rubefacti; os saliva impletur, quae ab initio in filis, dein ut spuma profluit et inter accessiones furoris late spargitur; pili hirsuti; boves celeriter macie afficiuntur, saepissime mugiunt sono quodam rauco, obtuso et ingrato, praecipue quum canem conspiciunt eiusque latratum audiunt.

Faeces magna cum difficultate rarius et in globorum lubricorum modum evacuatae; in posteriore corporis parte tumefacta frequens strepitus. Aquae horror in nonnullis, lucis et splendoris horror in omnibus. Inter furoris impetus in humum se proiiciunt, huc et illuc se volutant vel e catenis et funibus se eripiunt, in homines irruunt, cornibus omnia petunt tanta nonnunquam vi, ut frons tota sanguine tegatur, vel cornua perfringantur; in multis observantur subsultus tendinum, labiorum convulsiones, stridor dentium; color linguae fuscus; debilitas lumborum. Magis magisque deinde subsultus tendinum, convulsiones, anxietas et inquies crescunt, et universalis accedit virium defectio, qua animalia inter convulsiones die quinto vel septimo moriuntur. —

In ovibus et in subus morsis malum dignoscitur simili quodam gestu pavido aut saeviente, sono balatus vel grunnitus mutato, vultu alieno, rubore oris vel rostri, salivatione et similibus. Oves valde et insolito modo saltant et alias insane moventur; sues maximam habent saepe mordendi cupiditatem, omniaque in iis vehementiora sunt et violentiora.

Rabiei, quam huc usque descripsimus, genus quoddam nonnihil immutatum id esse videtur, quod interdum in Aegypto camelos tempore ardoris (coeundi) corripere dicitur. Larrey enim in libro suo „Description de l'Egypte" (tom. I; p. 518.) hac de re ita nobis narrat: Cameli illo tempore continuo mugiunt, copiosam spumam albam, crassam ex ore produnt, non bibunt, et aquam horrere videntur; alia animalia et homines persequuntur, quos morsu petant; macies permagna; pili hirsuti fiunt et defluunt, interdum febris oritur, atque si illo tempore ira eorum irritatur, malum post dies aliquos convulsionibus in mortem exit. Camelorum morsus intra huius morbi tempus periculum affert. Ipse Larrey observavit ex laesionibus exiguis morsu eorum ortis magna effecta esse mala, quorum naturam accuratius tamen non exposuit, id solum addens, omnes fere homines, morsu laesos, quamquam summam ipse navavisset operam, usu membri unius alteriusve esse privatos.

Mutationes illae, quae in cadaveribus animalium rabie emortuorum, inprimis boum inveniuntur, generatim cum iis, quae in genere canino observantur, congruere solent. Basis linguae, velum palatinum, pharynx et larynx sunt tumefacta, fusca atque inflammata; glandulae salivales turgidae; ventriculi et intestina aëre inflati; ventriculus quartus et intestinum tenue liquorem continent male olentem, fuscum vel subviridem; hepar et lien aut marcida aut integra; vesica fellea multa bile subnigra maxime extensa; pulmones flaccidi, trachea muco spumoso impleta; aqua in pericardio effusa; vasa membranarum cerebri sanguine tumentia, abundantia; substantia cerebri ipsa solito mollior.

Caput IV.

Historiae aliquot morbi.

Huius nostri in bubus morbi ut amplior nobis et accuratior quaedam delineetur imago, nonnullas nobis liceat afferre morbi historias.

I. De rabie furiosa.

Die 24. mens. Iunii anno 1813 in praefectura superiori Würtembergensi Balingen [1]) iuvenca annicula, antea prorsus sana, a vulpe in ore morsa est. Statim fortissime mugiebat, per decem dies continuos a domino in stabulo retinebatur, tamen quum sana adhuc videretur, denuo pastum acta est. Die 15. eiusd. mens. non amplius esum potumque cepit. Quum ius quoddam ei infunderetur, collapsa est et vehemente spasmorum accessione correpta atque deinde die 20. interfecta. Intra morbi tempus animal multam ex ore spumam ediderat, multum mugiverat, saepius cervi instar exsiluerat, dein tamen corruerat, toto corpore contremuerat et celerrima macie extabuerat.

In eodem oppido una fere hora post ab eadem vulpe vacca sana duorum annorum et dimidii in pede morsa est.

Die 19. mens. Iulii dominus prima observavit morbi

---

1) Vid. Dr. W. E. Faber, die Wuthkrankheit der Thiere und des Menschen. Karlsruhe, 1814. I. p. 119.

symptomata. Vacca immobilis in pascuis stabat, unum semper locum adspiciens, nihil voravit neque aquam bibit; recte spiritum duxit et minime cornu petiit. Vesperi in stabulo panem adhuc sale conspersum sumsit; itidem matutinis horis postridie eius die, priusquam pastum agebatur. Hic valde mugivit et os multa spuma obtectum vento obiecit; taurus eam saluit. Vesperi adhuc edit et aquam hausit. Die 21. per noctem saepe et alta voce mugivit, maxime fuit inquieta et omnia in stabulo laceravit, crebro et vehementer sursum exsiluit, saepe tamen subito humi procidit et per aliquantum deinde temporis tranquilla et capite prorsum erecto et pedibus extentis in latere sine ullo sensu iacebat, caput interdum tollere conabatur, statim tamen demisit. Nunc fere semper pulsus frequens, aures et cornua frigida observabantur, cutis tremor, inprimis in regione hypogastrica, interdum praeterea in naso et in pedibus convulsiones; ruminatio cesserat neque unquam rediit, nihil usque edit et bibit; magna profluit spumae copia atque maxima iam aderat macies.

Meridie ut plurimum tranquilla erat, diutius consistebat, aliquantulum graminis recentis comedit et nonnihil bibit aquae, impedimentum tamen in mordendo et in deglutiendo facile potuit animadverti. Ad vesperam magis fuit inquieta, saepius in latus procidit, diutius humi iacuit neque quidquam amplius ciborum voravit.

Die 22. per noctem non tam saepe quam antea mugivit. Mane surgere non potuit atque quoties tentabat, priusquam in pedes insistere valebat, humi relabebatur; cutis tremor et convulsiones in naso perstabant, minus tamen vehementes. Quum aqua ei porrigeretur, caput

extulit, subito tamen demisit et convulsionibus correpta est.

Die 23. noctu plus iterum mugivit. Mane erat magis inquieta, fortiter mugivit, voce tamen debiliore et magis obtusa, saepissime exsiluit, mox tamen decidit, nihil amplius edit, atque aqua porrecta, exstiterunt convulsiones; spiritum ut antea duxit et tantummodo post collapsum ingemuit osque late aperuit. Hodie demum aliquantulum stercoris prodidit nigri tenacisque resinae similis.

Die 24. tempore matutino equi ope e stabulo protracta, ut primum sub divo versabatur, subito exsiluit, diutius consistens, quam antea, atque capite prorsum inclinato equum petiit et vehementer mugivit.

Uno deinde in caput ictu, quo tamen cranium non erat fissum, repentino enecta est.

II. De rabie tacita.

Die 16. mens. Februarii anni 1841 meridie canis peregrinus in vicum Herbetingen praefecturae Saulgau advenit, ubi unum canem et plures boves aquatum ductas morsu laesit.

Die 26. demum hac de re nuntiatum est disciplinae publicae praefecto, simulque adnotatum, quatuor pecorum dominos illico post factum boves accurate exploravisse, nullas tamen invenisse laesiones. Nihilominus veterinarius legatus est et institutum, ut separarentur, includerentur et curarentur, si qua essent laesa. Veterinarius die II. mens. Martii in tauro admissario reperit duo vulnera vellendo facta in infimo crure atque in iuvenco laesionem pedis. Vulnera scarificata sunt, deinde Kali caustico erosa et denique unguento digestivo cum pulvere cantharidum mixto ligata.

Die 16. nuntiatum est, taurum inde a duobus diebus pabula spernere et maxime esse malitiosum.

Die 17. iam nihil amplius bibit, sed cupam aquariam a se protrusit.

Die 18. omnis ciborum appetitus cessit, taurus valde terram pedibus percussit, diu noctuque mugivit, sono tamen vocis haud mutato.

Die 19. parte corporis posteriori vacillare coepit atque vesperi surgere amplius nequiit. Per noctem nullam iam vocem edidit, atque periit die 29. hora quarta matutina.

Die 20. mens. Martii vacca alius domini morbo correpta, ab initio appetitum ciborum diminutum minoremque lactis secretionem habuit, mugitum certo iterum iterumque tempore editum, postremo raucum, oculos rigentes, pupillas dilatatas, coniunctivam rubefactam, sitim vehementem, deglutitione tamen aquae haud impedita; salivationem certis temporibus profluentem, stercus saepius et maiore cum difficultate editum, ab initio normale, postea liquidum et mucosum, postremo sanguinolentum; raro tantum lotium fuscum emissum; convulsiones denique musculorum in variis corporis partibus et paralysin corporis posterioris. Periit quarto morbi die.

Die 15. eiusdem mens. dominus tauri illius emortui duos boves exsecatos venumdedit viro pagi Neuhausen praefecturae Urach. Alter eorum quatuor annos natus morbo corripitur die 25. eiusd. mens. Veterinarius arcessitus invenit magnam maciem; bos nihil edit, nihil bibit, subito saepe exterretur, caudam extollit, vultum pavidum habet et atrocem, mugitum edit perquam ingratum; os

spumat, corpus posterius vacillat atque animal vehementissimo cum fremitu humi prosternitur.

Die 28. mane interimitur.

Bos alter et iuvencus ille, quem supra diximus, sani remanserunt.

Die 23. nuntiatum est, in pago Mieterlingen prope Herbetingen, quo idem canis pervenerat, in vacca duos annos et dimidium nata rabiem erupisse vehementissimam. Nihil bibit, multum salivavit, stercus fuscum, firmum cum muco sanguinolento fecit et die 27. periit. Statim defossa est.

Die 25. mens. April. eiusd. rustici alia vacca quinque annos nata morbo correpta est. Veterinarius arcessitus ab alveo pabulari distantem eam invenit, saepe caput quassantem, spumantem ex ore et salivantem, sono queribundo mugientem. Animal nihil bibit, stercus difficulter fecit, tanquam si uterum protrudere vellet; paucae tantum faeces fuscae multo cum muco, ex parte cum sanguine nigro commixtae editae sunt, multi vero flatus cum strepitu ventris. In corporis parte posteriori tendinum subsultus et convulsiones observari potuerunt. Vacca rogatu domini statim enecta et defossa est.

Caput V.

Rabies bovina cum rabie aliorum animalium comparata.

Rabies plantivororum, ut, si ipsam eius naturam spectes, eadem esse videtur atque rabies canina, ita phaenomena quoque illius rabiei similia sunt symptomatis rabiei caninae, certis tamen mutationibus, quae a generum diversitate dependent. In omnibus quoque iis animalibus, quae accuratius observari potuerunt, in cane, equo, bove, ove duo illa morbi genera, rabies furiosa et rabies tacita reperiuntur. In omnibus rabies certum habet decursum et plurimum trium stadiorum magis minusve determinatorum. Perdurat plerumque tres, quatuor quinque vel sex et, quum diutissime, quatuordecim dies, et semper fere in mortem exit. Mores animalium gestusque omnino permutantur et ita quidem, ut bestiae ferae timorem hominis amittant, animalia domestica omnibus domitus vestigiis priventur et in ferinum naturae statum reverti videantur. Innocentissimum omnium animal, ovis, saevissimo modo furere solet et canem oviarium nunc trepide fugientem persequitur. Equus rabiosus propter ma-

gnam mordendi et calcitrandi cupiditatem sonumque vocis peculiarem zebrae similitudinem, atque canis rabie correptus similitudinem hyaenae memorabilem exhibet. Vox ubique magis minusve rauca est et ab initio morbi intentior quam in statu sano, praecipue in genere bovino paullatim vero remittit. Macies brevi tempore progrediens, quae quidem in aliis etiam observatur, maxime tamen conspicua est in bubus rabiosis. Appetitus ciborum deperditus, alvus obstructa et extremitatum paralysis nihil in variis animalium generibus praebent, quo differant. Morbosa etiam oculorum affectio, unde horror quidam lucis et splendoris efficitur, in omnibus satis constanter observatur, contra mordendi cupiditas in iis tantum animalibus et constanter quidem invenitur, quae etiam in sano statu sese mordendo defendere solent, ut inter feras in lupo, vulpe atque inter animalia domestica in cane et in sue.

Ea vero animalia homini familiaria, quae in sano statu etiam alio modo se defendunt, iisdem armis in rabie quoque utuntur. Equus et asinus mordent et calcitrant; felis mordet et unguibus radit; bos, ovis, capra cornibus petunt. Hac in re animadverti licet, animalia eos praecipue insectari, a quibus antea iniuriis sunt affecta, itaque canem in homines invisos et in canes antea sibi inimicos invadere; bovem et ovem in eos canes irruere, qui saepius ipsas vexaverunt.

Cupiditas illa res alienas a solito cibo abhorrentes deglutiendi in iis tantum animalibus constanter apparet, quae ad suum quasi arbitrium vivunt, in lupo, vulpe, in cane et in fele. Attamen in iis, quae hominis custodiae atque curae omni tempore sunt tradita, pabulumque nonnisi

ex hominis manu accipiunt, hoc symptoma maxime rarissime obvenit. Ardor coeundi adauctus solum in equo, asino et in ove, quodammodo in bove observatur, nunquam vero in iis videtur exstare animalibus, ubi rabies primigena exoritur. —

Spuma et salivatio in stadio morbi postremo et per totum fere rabiei tacitae tempus in omnibus animalibus symptoma satis constans est. In stadio primo, plerumque etiam in stadio secundo salivatio nulladum exstat; sed tamen hoc tempore, praesertim in cane et vulpe cavitas oris sicca est atque tantummodo in equo, sue et ove, inprimis vero in bove salivatio prius et copiosius apparet. Idem fere dicere licet de musculis maxillae inferioris debilitatis, de impedita deglutiendi facultate atque de colore linguae tumefactae fusco et livido.

Aliud quoddam praeterea inter rabiem bovinam et rabiem ceterorum animalium discrimen intercedere statuendum esse videtur. Etenim contagium rabiei plantivororum minime, sicut alia contagia, in ipsis his animalibus praegignitur neque ab iis morsu ex consuetudine multiplicatur. Sed hac de re infra longius dicendum est.

Caput VI.

De rabie plantivororum, utrumne sponte an ex contagio orta.

Negari quidem non potest, morsum variorum animalium iratorum, quin imo hominum furientium interdum varias efficere affectiones morbosas, quae non raro speciem quandam hydrophobiae similem prae se ferant. Proferuntur etiam nonnulli rabiei primigenae casus, qui in aliis quoque generibus praeter genus carnivororum et in ipsis hominibus obvenisse dicuntur; quaeritur tamen quum maxime, num eiusmodi casus re vera ad ipsam rabiem queant referri, atque num omnino comprobatum sit, nullam ibi contagionem a cane rabioso profectam antecessisse. Adde quod casus illos profecto maxime dubios rabiei primigenae in aliis animalium generibus inque hominibus procreatae tam raros exsistere conceditur, ut comparati cum frequentissima generis canini rabie nihili fere sint faciendi. Ideoque non possumus, quin statuamus, rabiem spontaneam morbum esse carnivororum proprium. Inter omnes enim constat, in toto genere canino atque in genere felino rabiem sponte exoriri, atque ex organismi proprietate quadam nondum satis cognita utriusque generis petendam esse huius morbi dispositionem. Et haec quidem dispositio in vulpe maxima, in fele domestica tamen minima esse videtur. In ceteris tamen animalium generibus, quamquam nonnulli auctores rabiem

spontaneam in subus et simiis, Lietzau[1]) in bobus et in equis sese observavisse confirmaverint, tamen ex opinione plurimorum ceterorum testium et eorum quidem gravissimorum veram rabiem sponte gigni et ab ipsis propagari neutiquam videtur probabile esse.

In actis regii collegii medicinalis Würtembergensis plurimi casus rabiei accuratius observati enumerantur, omnes tamen contagio oriundi. Sues octo ab animalibus rabiosis (canibus, vulpibus et a mele) morsae sunt, ex quibus quinque perierunt. Equi sex observabantur, quatuor a canibus, duo a vulpibus rabie infecti. Boves sexaginta erant laesae utriusque sexus: boves exsecati, vaccae, iuvencae et unus taurus admissarius, variae aetatis. Triginta octo e sexaginta illis bobus vera rabie correptae sunt, viginti duae vero sanae remanserunt. Omnes illae sexaginta laesiones a vulpibus, canibus et felibus erant effectae, atque inter ea quidem pecora, quae vera rabie correpta sunt, septendecim a vulpibus rabiosis, undeviginti a canibus et duae a felibus erant morsae. In ovibus rabies observata est quinquagies; quatuor et quadraginta a canibus et sex a vulpibus morsae fuerant. In capellis tres afferuntur casus; prima a fele, secunda (hircus) probabiliter a vulpe rabida et tertia a cane rabioso vulnerata erat.

Cameli secundum Larrey tempore coeundi ardoris rabie quadam et ea quidem, ut videtur, spontanea interdum corripiuntur. Horum tamen animalium rabiem vixdum varietatem rabiei nominare licet, atque dissimilitudines satis magnas inter illam et inter veram rabiem caninam intercedere equidem opinor.

1) Hygea, 18. Bd., p. 110.

Caput VII.

Quaeritur, num et plantivora rabiosa morsu rabiem propagent.

Veram rabiem a carnivoris et sponte gigni et propagari constat. Animalia vero plantivora, quamquam veram rabiem sponte gignere nequeant, coeundi tamen ardore vehementer excitato et acerba ipsorum mota iracundia, in eiusmodi statum possunt adduci, ut morsu suo hominibus et animalibus hydrophobiam et mortem afferant. Itaque a camelorum morsu Larrey homines observavit usu unius alteriusve membri esse privatos. Quarum tamen laesionum naturam accuratius non describit. Adeo gallos iratos et anates mares inter coeundum irritatos morsu in homine hydrophobiam provocavisse, nonnulli sunt auctores. Numquid vero ipsa rabies canina a plantivoris rabie correptis in alia queat tradi, ad recentissima usque tempora discrepant scriptorum iudicia. Tres distingui licet virorum clarissimorum opiniones:

1) nullum animal rabiosum, excepto genere canino, morsu rabiem propagat;

2) omne animal, quod rabie corripi potest, rabiem propagare potest;

3) carnivora et omnivora, etiam homo rabiem propagare possunt, herbivora non possunt.

Cui igitur rei multi viri clarissimi ut maiorem afferrent lucem, observationibus fortuitis minime contenti, experimenta instituerunt. Iam vero, quamquam secundum

ea, quae alii susceperunt experimenta, rabiei contagium ex ovibus, morsu canis rabidi infectis, sine ullo effectu inoculatum esse videtur, tamen nonnulli etiam et ii quidem haud dubii casus ab aliis proferuntur, ubi a plantivoris rabie correptis non solum inoculatione, sed etiam morsu contagium in alia est propagatum. Sic saliva vaccae rabidae in hominis cuiusdam faciem prosiliens, morsus equi rabie correpti, manus dentibus vaccae rabiosae laesa veram rabiem provocarunt, mortemque laesorum hominum et animalium adduxerunt. Eiusmodi autem observationes, in quibus morsus plantivororum rabiem veram propagaverit, rarissimae sunt, neque ullae in actis collegii medicinalis Würtembergensis proferuntur. Nonnullos tamen casus, qui contrariam tueri videantur opinionem, inde nobis liceat brevi communicare. Ancilla, quae vulnus apertum habuit in manu, offam panis in os vaccae rabie correptae inseruit; veterinarius quidam in manu sua, cuius nonnulli loci epidermide carebant, dentibus bovis laesionem accepit; faber ferrarius, dum medicamenta infundit, ab equo de rabie maxime suspecto in manu morsus est: verum tamen cuncti sani remanserunt.

Ex omnibus igitur, quas modo attulimus, observationibus id quidem negari non licet, fieri posse, ut rabiei contagium ex plantivoris et per plantivora propagetur; eiusmodi tamen casus, in quibus morsu vera rabies propagetur, tam paucies observari, in eo maxime videtur esse positum, quod animalia illa, si equos et asinos excipere velis, in rabie nullam ita magnam ostendere solent mordendi cupiditatem.

Vita.

Ego, Petrus Flink, Flamersheimiae, circuli Euskirchensis, die XI. mensis Iunii anni 1823 natus sum parentibus Balth. Flink et Christina e gente Schick, quos adhuc inter vivos pio animo veneror. Fidem catholicam profiteor. Primis litterarum elementis imbutus gymnasia, quae Monasterii Eifliaci et Coloniae florent, per quatuor annos frequentavi. Maturitatis deinde testimonio a gymnasio Aquisgranensi instructus, a Rectore cl. Naumann in civium academicorum numerum receptus, apud cl. Noeggerath philosophorum ordinis t. t. Decanum spectatissimum nomen professus sum; tempore autem auctumnali nomen apud cl. Nasse Medicorum ordinis t. t. Decanum spectatissimum dedi. Professores, quorum et lectionibus et exercitationibus practicis interfui, hi sunt:

Cl. cl. Schopen, Dellbrück, Plücker, van Calker, Goldfuss, Noeggerath, Treviranus, G. Bischof, C. Mayer, M. Weber, Budge, Albers, Kilian, Naumann, Nasse, Wutzer, E. Bischoff, Hoppe, Schaaffhausen.

Quibus viris omnibus optime de me meritis maximas, quas possum, gratias habeo et semper habebo.

Praeterea per annum in septima equitum cohorte, duce cl. Dr. Kallmann, chirurgi militaris munere functus sum.

Theses.

1. *Non est generatio originaria.*
2. *Primus narcoticorum effectus in sanguinem, non in nervos.*
3. *Certa carditidis symptomata non sunt.*
4. *Discrimen est inter rabiem et maniam.*
5. *Non est rabies plantivororum spontanea.*
6. *In delirio potatorum opium optimum est remedium.*
7. *Vulnus pectoris penetrans semper iam ab initio claudendum.*
8. *Dilatatio orificii uterini incruenta est operatio prorsus dubia.*
9. *Aqua potus saluberrimus.*